

DEDICATORIA.

veri, operatio boni. Iam si Chymiam dica-
mus, naturalium rerum sciendarum gratia,
easdem in prima principia reclusas philoso-
phicè contemplari, tam parum id concede-
mus, ut ex hac assertione fundamentum to-
tius erroris liquidè simus declaraturi. Pri-
imum enim, licet daremus Chymiam id age-
re: non sequeretur tamē eam Philosophiam,
sed Physicam: non Philosophos sequaces eius,
sed Physicos denominandos esse. Ast ne Phy-
sica quidem est, si, qua decet philosophos, no-
minum proprietate nitamur. Est enim Chy-
mia ars, quæ res naturales in prima sua
principia ingeniosè consumit & dirimit.
Ars est reuera, propriè sumpto vocabulo:
cū non nascatur nobiscum, sed utilium
præceptorum ductum secuta, opus suum pro-
ducit, id, quod πείρω cognominat Aristote- 6. Ethic.
les. Iam si sit ars, quo pacto Scientia fuerit,
aut Physica dicetur, quæ res naturales per
causas necessarias ratiocinando & demon-
strando cognoscit? Nec enim unius & eius-
dem habitus natura permittit, ut ars simul
& scientia habeatur, cumq; negotium uni-
uersum finis determinet, haudquaquam eo-
dem momento effectiōnem sibi & cognitio-
nem propositam intuetur. Quanquam au-
): (s tem